



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VIII. De effectibus Sacramenti Eucharistiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ca est, prius natura est quod corpus Christi sub speciebus panis ponatur, quam quod illi verificetur.

Instabis: Propositio practica affirmat aliquid esse in re: Ergo supponit rem ita esse.

Respondetur distinguendo Antecedens: affirmat aliquid esse in re, quod tunc fiat, concedo. Quod præsupponatur, nego.

Quærent hic aliqui, an verba consecrationis physice instrumentaliter producant sub speciebus Eucharisticis substantiam corporis Christi, subindeq; ab eis physice substantiam panis & vini expellant? Sed resolutio hujus difficultatis pendet ex dictis in Tractatu de Sacramentis in communi, de causalitate sacramentorum novæ legis; nam eodem modo asserunt SS. Patres verba consecrationis efficere corpus & sanguinem Christi, quo alia sacramenta causant gratiam: unde sicut ibi ostensum est, quod ut dicta Scriptura, Conciliorum, & SS. Patrum, in sensu proprio salventur & verificentur, dicendum est, sacramenta novæ legis physice instrumentaliter causare gratiam, idem asserendum est de verbis consecrationis respectu productionis corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, & expulsionis substantiæ panis & vini ab illis. Quare S. Thomas hic art. 4. docet verbis illis inesse virtutem creatam ad perficiendam istam conversionem. Et in resp. ad 2. negat dari instrumentum creationis, quod tamen concedit pro ista conversione. Ubi manifestum est ipsum loqui de instrumento physico, non verò de purè morali. Tum quia non est necesse ponere virtutem aliquam creatam instrumento morali, cum instrumentum morale non influat per virtutem physicam in effectum, sed agens principale se solo ad positionem illius rei operetur. Tum etiam, quia nulla est repugnantia quod detur instrumentum morale creationis, quia non repugnat quod ad intercessionem alicujus Sancti, vel ad prolationem aliquorum verborum, Deus se solo creet Angelum vel animam; sicut multoties propter preces alicujus Sancti datur alicui filius, & creatur anima illius.

Argumenta verò quæ contra hanc D. Thomæ sententiam militant, loco citato, solide & perspicue soluta sunt. Deo solum restant breviter hic expedienda. Primum est, quod si verba consecrationis physice instrumentaliter concurrant ad productionem corporis Christi sub speciebus, etiam ipsa Christi humanitas habebit eandem causalitatem, cum illa sit instrumentum conjunctum Verbi divini, ad producendos eosdem effectus quos per sacramenta ut per instrumenta separata operatur: Sed videtur impossibile quod humanitas Christi instrumentaliter physice ad hunc effectum concurrat, alioquin ipsa Christi humanitas seipsam produceret: Ergo pariter repugnare videtur, quod verba consecrationis physice instrumentaliter concurrant ad productionem corporis Christi sub speciebus Eucharisticis.

Verum huic difficultati facile respondetur, negando Minorem, licet enim humanitas Christi non possit esse instrumentum ad productionem sui absolute & simpliciter, bene tamen ad productionem, ut ex pane, & in sacramento; quia nulla est repugnantia quod humanitas Christi supponatur existens absolute, & supponatur non existens tali modo, subindeque ut existens absolute & in propria specie, instrumentaliter concurrat ad sui productionem sub tali modo.

Tom. V.

Secundò obijci potest, quod conversio panis in corpus Christi non minus excellens & miraculosa videtur, quam creatio: Ergo cum juxta D. Thomam i. p. quaest. 45. art. 5. repugnet creaturam esse instrumentum physicum creationis, videtur etiam impossibile, quod verba consecrationis physice instrumentaliter ad productionem corporis Christi sub speciebus Eucharisticis concurrant.

Respondetur dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem; licet enim concedatur quod conversio ista sit actio excellentior quam creatio, non tamen est ita difficilis respectu creaturæ; quia actio creaturæ debet recipi in aliquo subiecto quod præsupponatur, ut illa operetur; quod subiectum non præsupponitur in creatione bene tamen in transubstantiatione; unde quavis repugnet dari instrumentum physicum creationis, non tamen transubstantiationis.

DISPUTATIO VIII.

De Effectibus Sacramenti Eucharistie.

Ad questionem 79. D. Thomæ.

QUæ ad hujus mirabilis sacramenti effectus attinent, tot difficultatum scholasticarum nodis implexa non sunt, quam quæ hucusque pertractavimus, unde & brevius & facilius ab illis nos expediemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Qui sint præcipui hujus Sacramenti effectus?

Dico primò, proprium & principale hujus Sacramenti effectum, esse gratiam, per modum nutritionis & augmenti in vita spirituali. Ita colligitur ex Florentino in decreto Eugenii, ubi hoc Sacramentum habere dicitur omnem effectum quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, reparando, augendo &c. Et ex Tridentino sess. 13. cap. 2. ubi sic habetur: Sumi autem voluit (Salvator noster) Sacramentum hoc tanquam spirituale animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes viri illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Quibus verbis rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat. Hoc enim Sacramentum per modum cibi & potus institutum est, juxta illud Joan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Ergo sicut cibus materialis corpus nutrit & auget, & roborat, & ut loquitur Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. Anima nostra substantiam sumpsit; quod aliter præstare nequit, quam tribuendo gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita spirituali. In quo à cæteris Sacramentis differt: alia enim Sacramenta ad alios effectus & fines peculiares gratiam conferunt, Baptismus ad regenerationem, Confirmatio ad fidem fortiter & constanter propugnandam, Pœnitentia ad resurgendum à peccatis, Extrema Unctio ad levamen aegritudinis, & felicem

Na cem

cem ac facilem exitum ex hac vita, Ordo ad conferendam potestatem conficiendi aut ministrandi valide sacramenta, Matrimonium ad conjuges sanctificandos, muniendosque subsidiis quibus convenienter status conjugalitatis sustineri possit.

2. Dico secundò, hoc sacramentum, quantum est de se, causare etiam quandam gratiam actua-lem, nempe excitationem charitatis, & actua-lem refectionem, cum quadam dulcedine, & gaudio spirituali. Ita D. Thomas hic art. 1. ad 2. ubi ait: *Per hoc Sacramentum, quantum est ex sui vir-tute, non solum habitus gratia & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, juxta illud 2. ad Corin-th. 5. Charitas Christi urget nos. Et inde est quod ex virtute hujus Sacramenti anima spiritualiter refici-tur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae, secundum illud Cant. 5. Comedite amici, & bibe-te, & inebriamini charissimi. Unde in Clementina unica de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, Eu-charistia vocatur panis habens omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem; & D. Thomas opusc. 78. dicit, quod in hoc Sacramento dulcedo in pro-prio fonte degustatur, & in officio quod de hoc mi-rabili sacramento jussu Urbani IV. edidit, ei ac-commodat illud Genes. 49. Pinguis est panis ejus, & praebebit delectatis Regibus.*

3. Similia docent SS. Patres, Cyprianus enim serm. de Coena Domini haec scribit: *Panis iste Angelorum, omne delectamentum habens, virtute mi-rifica, omnibus qui digne & devotè sumunt, secundum suum desiderium sapit, & amplius quam manna illud eremi implet & satiat edentium appetitum, & omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsipe-rat dulcedinem voluptates. Ambrosius lib. 5. in Lucam: Qui domicilio Christum recipi interno, ma-ximis delectationibus exuberantium pascitur volupta-tum. Laurentius Justinianus de casto connubio Verbi & animae cap. 24. hoc sacramentum ap-pellat, *pabulum suave, refectionem jucundam, mel-li-fluum manna*, quia revera in eo Christus animam mirā dulcedine & suavitate perfundit, satiaturque nos de torrentibus mellis & butyri, juxta illud Job 20. *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri*, quod D. Gregorius 15. Moral. cap. 9. accommodat ad Christum: *Mel quippe (inquit) ex aere, butyrum vero ex carne est: summi autem Patris unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia; qui cum nos dulcedine Divinitatis suae, & mysterio Incarnationis suae replevit (in Eucharistia) melle nos pariter & butyro satiavit.**

4. Docent etiam aliqui ex SS. Patribus, ad miram hujus dulcissimi sacramenti suavitatem explican-dam, quod in eo divina Sapientia suam divinita-tem & humanitatem ad modum lactis nobis ex-hibet, juxta illud Isaia 60. *Mammillae Regum lacta-beris*. Ita Augustinus Concione 1. in Psal. 33. ubi haec scribit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiter-nus, sed manducant Angeli, manducant superna Vir-tutes, manducant coelestes spiritus, & manducant, & saginantur: quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut men-sa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Similia habet Hugo à S. Victore lib. 1. Miscell. titulo 25. Sapientia (inquit) sursum panis erat, & versa est deor-sum in lac; in divinitate Panis, in humanitate lac; & nutritus est parvulus lacte humanitatis, ut crescens & convalescens capere possit cibum divinitatis.*

A Ad majorem hujus conclusionis intelligenti-am, observandum est cum Cajetano hic art. 1. quod quamvis augmentum gratiae, & dulcedo spiritualis, sint hujus sacramenti effectus, non habent tamen necessariam connexionem, sed possunt ab invicem separari. Nam in Christo se-cundus effectus fuit sine primo, ut docet D. Tho-mas hic quaest. 81. art. 1. ad 3. ubi ait quod quavis in Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione hujus sacramenti, habuit tamen spi-ritualem delectationem. E contra verò (sicut Cajetanus) augmentum habitualis gratiae ex hoc sacramento in valde multis credimus contingere, qui digne ad hoc sacramentum & devotè acce-dunt, & tamen expertes sunt spiritualis dulcedi-nis, ita ut ipsorum vox ad Patrem celestem sit: *Ecce tot annis servio tibi, & nunquam dediisti mihi dulcedinem, ut cum amicis meis epularer, & tamen filius erat qui verè dicere poterit: Nunquam manduca-vi tuum praeerivi. Lucae 15. Sicut ergo Sacramentum Extremae Unctionis non semper causat sanita-tem corporis; sed solum cum expedit ad salutem animae, & non est impedimentum ex parte reci-pientis; ita nec Eucharistia semper causat delectationem & fervorem spirituales (principales sensibiles, & redundantes in inferiores poten-tias) sed solum prout expedit ad augmentum gratiae & virtutum, vel cum ex indispotione sub-jecti ei non ponitur impedimentum, ut contingit in illis qui cum distractione, & absque atten-tione & devotione actuali, ad hoc sacramentum accedunt.*

Addo ex D. Thoma opusc. 78. cap. 22. quod sicut medicus peritus quandoque quibusdam dar-micam dulcem palato corporis, & quandoque naph-thalam dulcem palato mentis, quae quamvis non gustant, ta-men bene sapit rationi, pro eo quod sanam mentem delectat, sic Dominus dat suis fidelibus dulcem temper-mentum: sed dulcedinem suam alio modo istis, alio glori-antibus, cuilibet expedire novit. Hinc est quod quidam dulcedinem istam sapient per affectum, & ardorem delectantur devotione, & alii eandem dulcedinem sapient per primum intellectum, & sufficienter reficiuntur alicuius in eo quod credunt & intelligunt per hunc cibum suum veram vitam obtinere. Igitur (concludit S. Doctor) quamvis non sapis dulcedinem Domini primo modo, id est, per affectum firmam devotionis, sapis tamen secundo modo, scilicet per intellectum multam utilitatem.

Dico tertio: Hoc Sacramentum tollit peccata venialia, & praeservat a mortalibus. Ita docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens, *Hoc Sacramentum esse antidotum, quo liberamur a peccatis quotidianis, & a peccatis mortalibus praeservamur.*

Quod tollat peccata venialia, ex duplici capite provenit, ut docet S. Thomas hic art. 4. Primo ex ipsa ratione gratiae cibantis, quia proprium est alimenti, non solum nutrire, sed etiam restau-rare quod per calorem naturalem perditur. Sed per peccata venialia quotidie perditur de fervore & calore charitatis. Ergo per cibum spirituales restaurari debet. Secundo habet tollere peccata venialia mediato, quatenus excitat fervorem charitatis, quo remittuntur venialia, quae non ipsi habitui, sed exercitio seu fervori charitatis opponuntur.

Quod verò a mortalibus praeservet, probatur discursu D. Thomae, hic art. 6. Cum enim peccatum mortale sit quaedam spiritualis mors ani-mae, sicut dupliciter contingit corpus praeservari

à morte, primò inquantum natura hominis in-
 terius roboratur contra corruptiva, & sic præ-
 servatur à morte per cibum & medicinam; se-
 cundò per hoc quod munitur contra exteriores
 impugnationes, & sic præservatur per arma qui-
 bus munitur corpus: ita & hoc sacramentum
 duplici illo modo præservat animam à morte
 spirituali peccati, primò quidem quia interius
 roborat ipsam, tanquam spiritualis cibus & me-
 dicina; secundò quia hoc sacramentum est
 quoddam signum rememorativum passionis
 Christi, per quam victi sunt Dæmones, & ided
 repellit omnem demonum impugnationem, &
 præbet auxilia ad vincendas omnes eorum ten-
 tationes juxta illud Psalmi 22. *Parasti in conspectu*
meo mensam adversus omnes qui tribulant me. Unde B
 Ignatius in Epistola ad Ephesios post medium:
Studete frequenter accedere ad Eucharistiam Dei &
gloriam: quando enim hoc ipsum assidue agitur, ex-
pelluntur Sathane potestates, qui suos actus convertit
in sagittas ignitas ad peccatum. Et Ambrosius serm.
 8. in Psal. 118. *Moses agnum immolavit, ut mandu-*
cantes eum non occuparentur id est non circumven-
irentur exterminatoris insidiis, ne inermes & va-
cuius spiritualis alimenti, nocturna spicula, tenebrosi
hostis opprimerent. Prævenit & tu insidias tene-
toris, instaurat prius celeste convivium: Advenien-
dum in Ecclesiam, celebranda oblatio: Tunc para-
tus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus e-
das Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, po-
stulatio divina reconciliationis, & protectionis eter-
nae. Suscipe Dominum Iesum tuæ mentis hospitio:
 ubi corpus ejus, ibi Christus est: Cùm hospitium
 tuum adversarius viderit occupatum celestis fulgore
 presentie, intelligens locum tentamentis suis inter-
 clusum per Christum esse, fugiet &c. Similia ha-
 bet Chrysostomus homil. 45. ubi ait quod ut leo-
 nes flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus,
 terribiles facti diabolo. Subditque paulò post,
 quod hic mysticus sanguis demones procul pellit, cùm
 enim dominicum sanguinem in nobis vident, in fu-
 gam vertuntur &c. Et infra. Quod si ejus figura
 tantam habuit vim in templo Hebræorum & in A-
 gypto, quando liminaribus aspersus & inunctus est san-
 guis agni, multò magis veritas &c. Demum Cy-
 prianus Epist. 54. ait, Non esse idoneum ad mar-
 tyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælum: quia
 mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit &
 accendit.

8 Dico quartò: sacramentum Eucharistia: cau-
 saperfeverantiam, & gloriæ ademptionem.

Prima pars patet ex iuprà dictis, Tum quia
 Eucharistia cùm sit instituta per modum cibi,
 nutrit & fovet vitam spiritualement. Tum etiam,
 quia habet præservare à peccatis mortalibus:
 præservando autem à peccatis, confert perseveran-
 tiam, quia impedit destructionem gratiæ.
 Tum denique, quia confert auxilia actualia ad
 perseverandum, & ad vincendas tentationes
 carnis & diaboli, juxta illud quod canit Ecclesia
 in officio hujus admirabilis sacramenti, à D.
 Thomas edito.

O salutaris hostia,

Quæ celi pandis ostium:

Bella premunt hostilia:

Da robur, ser auxilium.

9 Secunda verò pars, nempe quod Eucharistia
 causet ademptionem gloriæ, constat ex verbis illis
 Christi Joan. 6. Si quis manducaverit ex hoc pane,
 vivet in æternum: vita enim æterna, est vita gloriæ.
 Tom. V.

A Multiplici verò titulo habet illam causare.
 Primò, quia est causa gratiæ, quæ est radix &
 semen gloriæ, & hoc est illi commune cum aliis
 sacramentis.

Secundò, specialiter, quia, ut diximus, cau-
 sat perseverantiam in gratia: perseverantia au-
 tem est veluti janua per quam electi intrant in
 palatium regni cœlestis, & sola est (ut ait Ber-
 nardus) cui æternitas redditur, vel quæ æternitatis
 hominem reddit.

Tertio, quia est memoriale passionis Christi,
 quæ aperuit nobis aditum vitæ æternæ, juxta il-
 lud Pauli ad Hebræos 10. *Habentes fiduciam in in-*
troitu Sanctorum, scilicet cœlestium, in sanguine
Christi.

Quartò, quia Eucharistia est veluti Christi
 testamentum, juxta illud Christi, *Hic calix novum*
testamentum est in meo sanguine: testamentum ve-
ro confert jus ad hæreditatem: Ergo ex vi hujus
 sacramenti habemus jus quoddam speciale ad
 Christi hæreditatem, quæ est vita æterna, & qui
 illud dignè sumunt, instituuntur hæredes vitæ
 æternæ, juxta illud Apostoli ad Hebræos 9. *de*
Christo: Novi testamenti mediator est, ut morte in-
tercedente, &c. qui vocati sunt, accipiant repromis-
ssionem æternæ hæreditatis.

Quintò hoc sacramentum habet causare glo-
 riam, ratione rei significatæ, significat enim re-
 fectionem spiritualement, & unionem fidelium in-
 ter se & cum Christo, tanquam membra cum
 capite, quæ per species panis & vini designan-
 tur: illa verò imperfectè solum habentur in præ-
 senti vita, perfectè autem in statu gloriæ, juxta
 illud Augustini tract. 26. in Joan. *Cum cibo & po-*
tui appetant homines, ut non esuriant neque sitiant,
hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, quæ
eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles fac-
it, in societate Sanctorum, ubi pax erit & unitas
plena, atque perfectæ.

Sextò, quia hoc sacramentum (ut ait Triden-
 tinum sess. 13. cap. 2.) est pignus future nostræ gloriæ
 & perpetuæ felicitatis. Quam rationem infinuat
 D. Thomas opusc. 58. cap. 23. ubi discutit: Si
 ergo corpus Christi sumptum, pignus est vitæ æternæ, &
 pignus non dimittitur, donec id pro quo impignoratur,
 accipiat, profectò per hoc ad vitam æternam perdu-
 citur.

Demum hoc sacramentum viaticum appella-
 tur, quia hîc præbet nobis viam, & dat virtu-
 tem perveniendi ad patriam. In cuius figuram
 dicitur 3. Regum. 19. quod Elias comedit, & bibit,
 & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta
 diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei
 Oreb. Unde Hieronymus in cap. 15. Matthæi:
 Non vult Iesus dimittere jejunos, ne deficiant in via:
 Periculatur ergo qui sine cœlesti pane ad optatam
 mansionem pervenire festinat. Unde Angelus ad Eliam:
 Surge & manduca, quia grandem viam ambulaturus
 es. Et Ambrosius precatione 1. quam pro Missæ
 præparatione composuit: Manducat te Angelus
 ore pleno (in patria) Manducet te Peregrinus homo
 pro modulo suo, ne deficere possit in via. Item Gau-
 dentius tract. 2. in Exodum, sub finem: Hoc est
 viaticum itineris nostri, quo in hac vita modo alimur
 & putrimur, donec ad ipsum perveniamus de hoc seculo
 recedentes: Unde dicebat idem Dominus: Nisi mandu-
 caveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem,
 non habebitis vitam in vobis. &c. Similiter Pa-
 schasius lib. de corpore & sanguine Domini c.
 19. Hæc mysterium nonnunquam viaticum appellatur,
 quia

quia si quis illo fruatur in via, pervenit ad vitam quam in se habet, &c. Demum Chrylostomus libro 6. de Sacerdotio ait, Animas eorum qui hoc sacramentum in fine vite suscipiunt, ab Angelis propter assumptionem illud sacramentum rectè ad celum via deduci: eorum verò corpora satellitum more stipantibus Angelis, in vitam eternam custodiri.

In huius veritatis confirmationem refert Venerabilis Beda libro 4. Eccles. hist. cap. 14. pueri egrotanti dictum fuisse ab Angelis: Nos te hodiernā die ad celestia regna sumus perducturi: Sed expectare primum habes donec Missa celebretur: ac viatico dominici corporis ac sanguinis accepto, ad eterna in celis gaudia subleveris.

10 Dico quintò: Eucharistia, etiam ut habet rationem sacramenti, remittit pœnam debitam peccatis, non quidem directè & ex vi sacramenti, sed ex consequenti, & concomitanter. Ita D. Thomas hic art. 5.

Prima pars patet, quia hoc sacramentum non est institutum ad satisfaciendum pro peccatis, sicut sacramentum Pœnitentiæ, sed ad spiritua-liter nutriendum, & ad sanctificandum nos.

Secunda verò constat ex suprà dictis: nam cum ut sacramentum habeat vim remittendi peccatum, ut suprà visum est, & peccatum non remittatur sine aliqua remissione pœnæ, consequens est, ut pœnam aliquam cum peccato remittat. Item ut sacramentum excitat fervorem charitatis, per quam homo consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ. Non remittitur tamen tota pœna peccato debita per assumptionem Eucharistiæ, sicut per receptionem Baptismi, aliàs homini communicanti nulla esset pœnitentia injungenda, sicut nec baptizato injungitur, & qui ibet munitus hoc sacramento ex hac vita discedens, evoleret statim ad celum, subindeque non indigeret Ecclesiæ suffragiis, ut à pœnis Purgatorii liberaretur: quæ erronea sunt, & communi Doctorum sententiæ penitus aliena.

Dixi Eucharistiam, ut habet rationem sacramenti, quia si consideretur in ratione sacrificii, per se & directè pœnam peccati remittit; nam quæ teus sacrificium est, habet vim satisfaciendi, & placandi Deum, ac reddendi illum sibi propitium, ut patebit infra cum de Missæ sacrificio disserteremus.

11 Dico ultimò: Eucharistia habet aliquos effectus in corpore, tum in hac vita, mitigando fomitem appetitus sensitivi; tum in alia, causando resurrectionem corporis.

Prima pars docetur à D. Thoma hic art. 1. ad 3. & art. 6. ad 3. & colligitur ex illo Zachar. 9. Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Virginitas enim & castitas consistit in moderatione appetitus sensitivi, quantum ad passionem libidinis. Unde Paschalius libro de corpore & sanguine Domini cap. 21. Felix fructus ubertatis ex quo virginitas germinatur: nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, ab isto verò Virgines procreantur. Et Glossa super illa verba Psalmi 67. Selmon mons Dei, sic ait: De corpore Christi manat umbra gratiæ, quæ nobis defensorium est contra incentiva vitiorum & carnalis concupiscentiæ. Quæ verba refert D. Thomas opusc. 58. cap. 21. & subdit: Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratiæ quæ de ipso fluit: Osee 14. Ego quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium.

A Similia docent SS. Patres: Cyrillus Hierosolymus libro 4. in Joan. cap. 17. hac habet: Si quis in nobis manet Christus, sciens memorem esse nobis legem, pietatem corroborat, & puritatem animi extinguit. Bernardus de Baptismo & de sacramento Altaris, circa medium, ait: Duo sacramenta hoc operatur in nobis, ut minus sensum minuat in minimis, & in gravioribus saepe modò, nec tam acerbos sentiat in acutis, nec invidia, luxurie, aut caterorum hujusmodi, quæ in corpore & sanguine Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.

Si autem quæras, quomodo Eucharistia hoc effectum causet in corpore?

B Respondeo cum D. Thoma hic art. 6. quod licet hoc sacramentum non directè operetur ad diminutionem somitis, diminuit tamen somitem quadam consequentiā, in quantum augeret charitatem: quia sicut Augustinus dicit in libro 8. de civitate Dei, augmentum charitatis est diminutio appetitus.

Idem docet Catechismus Pii V. in quodam charitatis sic dicitur: Dum charitatis ignis magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguit, necesse est. Addit S. Doctor loco citato, quod Eucharistia confirmat cor hominis in bono, per quod etiam preservatur homo à peccato. Quibus verbis alium innuit modum, quo Eucharistia concupiscentiam mitigare, & libidinis pulsiones frænare, cum enim illa sit verus animi charitatis confortans cor in bono; habet annexa quibus fomes mitigetur, sive quibus excitationes ad eum finem accomodatæ, & Dei providentiâ tollantur omnes occasionis extrinsecæ, & arceantur Demones, ne domini incendium augeant, ut docet S. Joannes Chrylostomus homilia 45. in Joan.

Addunt aliqui, quod sicut hoc sacramentum in carne indignè sumendum causat incrementum infirmitatem & imbecillitatem, juxta illud apostoli ad Corinthios 11. Ideo multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi. Ita è contrario in corpore hominis bene dispositi, qualitates aliquæ naturales causat quibus ardor concupiscentiæ temperatur, & fomes aliquantulum minuitur. Hic de Damascenus libro 4. fidei cap. 14. dicit de hoc sacramento, quod cedit in corpus animique subsidium. Et Cyrillus Hierosolymus Catech. 4. mystagogicâ, quod animam & corpus sanctificat.

Quod verò resurrectionem corporis causet, ut asserit secunda pars conclusionis, passim docetur à SS. Patribus, Irenæus enim libro 4. adversus hæreses cap. 34. contra Valentianum qui resurrectionem corporum negabant, sic arguit: Quomodo autem rursum dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini & sanguine alitur? Quem locum ostendit sic interpretatur: Perinde est ac si dixerit: Quomodo caro Christi vivificata est, & eadem resurrecta ad vitam incorruptibilem; inde fit, ut qui carnem illam sibi comederunt, si nulla post hæc suâ culpâ virtutem illam quam acceperunt, amittant, eorum corpora post resurrectionem resurgent ad immortalitatem.

Huic sententiæ subscribit Cyrillus Alexandrinus in 6. cap. Joannis, disertè non minus quam diffusè ostendens, eam nem Christi idèò vivificatricem esse, quia ineffabiliter conjuncta est filio Dei, à quo universa vivificantur, quippe peccatorum natura vitæ est, cum ex vivo Patre generetur, & perinde

proinde corpora nostra quantumvis corruptenda, artham, jus, vimque gloriose immortalitatis ex illius participatione & reali conjunctione percipere. Quod hoc discursu probat: Caro Salvatoris Verbo, quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica est, hacque de causa in excitandis mortuis, non solum ut Deus verbo atque imperio utebatur; verum etiam carnis suae contractionem adhibebat, ut ostenderet corpus suum vivificare posse. Igitur quando eam carnem comedimus, tunc vitam habemus in nobis, quae committet & inseret omnino immortalitati participes sui.

Deinde his exemplis rem illustrat. Aqua ex nativitate frigida, adventu ignis frigiditatis suae oblit. Quando mors in primogenitos Aegyptiorum saeviebat, carnes agni manducantes Hebraei, ejusque sanguine supellectilium perungentes, mortem effugerunt. Mulier apud Matthaeum fermentum abscondit, in farinae satis tribus, & parum fermenti totam massam fermentat: sic parvula benedictio totum hominem, in se attrahit, & sua gratia replet; & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. Propterea dicit, *Resuscitabo eum in novissimo die*.

Et iterum: Non poterat aliter corruptibilis haec natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitae corpus ei conjunctioneretur. Non credis mihi haec dicenti? Christus, te obsecro, fidem praebe, Amen amen (inquit) dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & suscitabo eum in novissimo die. Huc atque Cyrillus.

Similia docent Chrysostomus homilia 24. in 1. ad Corinthios, Hilarius 8. de Trinitate, Tertullianus libro de Resurrectione carnis, & Ignatius in Epistola ad Ephesios, ubi Eucharistiam appellat *pharmacum immortalitatis*, praeservativum contra mortem. Eadem de causa Concilium Nicaenum vocat hoc sacramentum *Symbolum resurrectionis*, & olim Christiani Punicis vitam illud nuncupabant, ut refert D. Augustinus libro de peccatorum meritis, & remissione cap. 24. Imò in quibusdam Ecclesiis solitum erat illud in ore defunctorum ponere, ut hoc contactu immortalitatis germen ipsorum corporibus tribueret. Quod tamen postea in variis Conciliis fuit prohibitum, praesertim in Concilio Carthaginiensi 3. canone 6. & in Concilio generali 6. in Trullo, canone 83. quia (ut inquit Patres ibi congregati) scriptum est: *Accipite & manducate*, quod mortui praestare non possunt.

Demum S. Thomas in cap. 6. Joan. lectione 7. hujus sacramenti utilitatem ex eo probat, quia non solum animae, sed etiam corpori dat vitam, juxta illud Christi Joannis 6. *Ego resuscitabo eum in novissimo die*. Subditque postea satis congruè, hunc effectum Eucharistiae tribui, quia ut dicit Augustinus: *Verbum resuscitat animas, sed Verbum caro factum vivificat corpora*: in hoc autem sacramento non solum est Verbum secundum suam Divinitatem, sed etiam secundum veritatem carnis, & ideo non est causa solum resurrectionis animarum, sed etiam corporum (ad Corinthios, 15. *Per hominem resurrectionem mortuorum*).

Ex hoc inferunt aliqui, quod illi qui in hac vita sapè & devotè communicant, claritatem quan-

Tom. V.

dam & splendorem specialem post resurrectionem generalem habebunt in corporibus suis. Et enim si Moyses in hac vita mortali, ex sola conversatione cum Angelo, qui loco Dei illi apparebat, tantam claritatem contraxit in facie, ut ex splendoris magnitudine, cornuta videretur, & non possent intendere filii Israel in faciem Moysis, propter gloriam vultus ejus, ut ait Apostolus 2. ad Corinthios 3. qualem claritatem putandum est contractura corpora Beatorum, ex contactu corporis Christi gloriosi, in Eucharistia, quam Chrysostomus *fontem lucis*, & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, *arcem luminum*, appellat. Id explicat Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18. exemplo quorundam vermium, qui corpora habent lucida, fulgentia sicut lucernae: *Iusti* (inquit) *splendebunt ut Sol*, & *tantumquam Luna*, & *sicut splendor firmamenti*. Et praevidens istam hominum incredulitatem Deus, vermicibus parvulis, astate, lucidum dedit corpus, ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim partem potest praestare, poterit & totum; qui fecit ut vermis lumine splendeat, multo magis illustrabit hominem justum.

Quares, an physice & moraliter solum Eucharistia hunc effectum operetur?

Respond eo probabilis esse, hunc effectum solum moraliter causari ab Eucharistia, quatenus scilicet Deus voluntate sua acceptat summptionem Eucharistiae quasi pignus futurae gloriae & immortalitatis, ut ait Tridentinum sessione 13. cap. 2. pignus autem non causat redditionem debiti, nisi moraliter, à debitore vero physice causatur. Unde Christus quidem intuitu hujus pignoris, & promissionis factae Joannis 6. *Ego resuscitabo eum in novissimo die*, quae est obligatio moralis, physice corpora nostra resuscitabit in novissimo die, sed Eucharistia moraliter solum ad hunc effectum concurret.

Addo quod licet sacramenta novae legis, quando sunt, physice (in sententia Thomistarum) producant suos effectus, quando tamen non existunt, moraliter solum ad eos concurrunt, ut de sacramentis fidei susceptis diximus Tractatu de sacramentis in communi. At cum corpora sanctorum resurgent, sacramentum Eucharistiae non erit amplius in se, cum jam praeterierit, neque etiam in aliquo suo effectu, seu qualitate ab eo relicta in corpore, quae tunc elevetur à Deo ad causandam resurrectionem, ut aliqui existimant: neque enim fundamentum habet talis qualitas, nec designari potest quanam sit, aut quomodo maneat in tam multis transmutationibus quae fiunt in corporibus mortuorum postea glorificandis, ut rectè ait Joannes à Sancto Thoma hic disputatione 30. art. 1. conclus. 4. *Ergo sacramentum Eucharistiae moraliter duntaxat causabit corporum nostrorum resurrectionem*.

Querunt etiam hic aliqui, utrum per accidens possit hoc sacramentum aliquando conferre primam gratiam? Sed de hoc fusè egimus in Tractatu de sacramentis in communi disp. 3. art. 5. §. 4. ubi ostendimus sacramenta vivorum per accidens aliquando conferre primam gratiam; idque de Eucharistia expresse docet D. Thomas hic art. 3. his verbis: *Potest hoc sacramentum operari remissionem peccatorum dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo justificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, forte enim primò non fuit*

Nu 3

suffici-

sufficiens contritus, sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, qua contritionem perficit & remissionem peccati. Et in 4. sent. dist. 9. quæst. 1. art. 3. quæstionc. 2. Si aliquis (inquit) facta diligenti discussione sua conscientia, quamvis forte non sufficienti, ad corpus Christi devotè accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat: imò magis ex vi Sacramenti, peccati remissionem consequitur. Unde Augustinus dicit in quodam sermone, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos.

21 Ratio etiam id suadet, cum enim Eucharistia realiter Christum contineat, qui est fons vitæ, verisimile est quod potest mortuos morte peccati vivificare, & homini sic disposito per accedens conferre primam gratiam; idque de divina misericordia & benignitate piè præsumitur, cum Deus sit misericors & clemens, ac præstabilis super malitia, erga eos qui ex animo peccatum detestantur, & devotè ac bonâ fide confugiunt ad sacramenta, eorumque incapaces non sunt. Cumque hoc sit magis piæ, & in consolationem fidelium sedens, non est cur negetur.

22 Addo quod Ecclesia hinc sententiæ favere videtur, cum in quadam oratione postulat, ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium peccatorum. His enim verbis innuere & sentire videtur, valere inter alia hoc sacramentum ad scelera abluenda.

23 Idem docere videntur SS. Patres, quos refert Joannes à S. Thoma hic art. 2. præsertim Justinus Martyr in quæstionibus ad Gentes, responsione ad quartam, ubi loquens de sumptione carnis Dominicæ in hoc sacramento, Carbo (inquit) quem Propheta vidit immundis suis labiis adherentem, ad iniquitatum, peccatorumque expiationem, figuram habebat Dominicæ carnis, qua conscientiam eorum qui ipsam edunt, ab omni scelere expiat.

24 Nec valet quod ait Vazquez, Justinum ibi non loqui de reali sumptione carnis Christi in Eucharistia, sed solum de fide quâ in Christum creditur. Nam (præterquam quod hæc responsio favet hæreticis, Christi carnem in Eucharistia spiritualiter solum, & per fidem manducari contententibus) aperte repugnat menti S. Justiniani, cum paulò ante dicat: Quod illa visio Iste, mysterium Christi enuntiabatur, qui in solio gloria sedet, & suæ sanctæ carnis suæ peccata impiorum scelerumque hominum expiat. Ubi per eum carnis Christi, non potest intelligi fides quâ in ipsum creditur, sed solum sacramentalis ejus sumptio in Eucharistia.

25 Dices primò, Tridentinum sess. 13. can. 5. anathema dicitur ei qui dixerit, præcipuum fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum: Ergo sententia D. Thomæ non videtur menti & doctrinæ Concilii consona.

Sed nego consequentiam, nam potius Concilium nostram indicare vel supponere videtur sententiam, dum definit remissionem peccatorum non esse præcipuum hujus sacramenti effectum: hæc enim verba innuere vel supponere videntur, remissionem peccatorum esse ejus effectum minùs præcipuum, subindeque Eucharistiam interdum per accedens conferre primam gratiam, quamvis directè & præcipuè ad istum effectum conferendum non sit instituta.

Dices secundò, Sacramentum Eucharistiæ per modum cibi institutum est: Sed cibus nihil pro-

A desse potest mortuis, cum detur ad recreandum & nutrimentum viventium, non ad suscitandum mortuorum, quia mortui manducare non possunt: Ergo Eucharistia nunquam potest potest mortuis spiritualiter morte peccati, & per consequens illis conferre primam gratiam. Præsertim cum Sacramenta vivorum & mortuorum di sunt omnia, exceptis Baptismo & Penitentia, quorum ille ad suscitandum mortuorum peccata originali institutus est, hæc verò ad suscitandum mortuum per actualia post Baptismum communi (sa) sic appellantur, quod nunquam potest mortuis possint.

B Respondeo quod licet hoc sacramentum per modum cibi institutum sit, & sic directè de se loquendo supponat vitam in comedente, tamen hic cibus eminenter habet vitam, ipsamque vitæ fontem, ut supra dicebamus, in se continet; habet potestatem vivificandi mortuum morte peccati, & conferendi primam gratiam.

Addo, quod licet nutrimentum conveniat dum in substantiam aliti, vis facultatis spiritualis, ejusmodi est alimentum corporeum, non possit prodelle quidquam mortuis, quæ qui carent tali vi & facultate) fecus sacramentum reale, quod è contratio suscipientem in se quodammodo convertit. Præsertim cum de quo loquimur, non ita sit mortuus, quem vitam spiritualis actum exerceat, & contritione ac bonâ fide, devotè, reverenterque ad sacramentum accedat.

Ad illud quod additur de sacramentis mortuorum, dicendum est, sacramenta vivorum non appellari, quod nunquam possint prodelle mortuis; sicut nec sacramenta mortuorum fructus cupantur, ut non possint prodelle vivis; sed dicuntur sacramenta vivorum, quia per se & propria intentione, gratiæ vitam præsupponere debent in subiecto; licet ex benignitate & benedictoria intentione Christi, fragilitatis humanæ miserationis, eam tribuere possint accedentibus bonâ fide cum attritione, ut probabiliter de divina misericordia præsumitur, & fultus locis præ citato declaratum est; unde quæ hic de hac difficultatem desunt, ex dictis ibidem impleri poterunt.

Plures alii sunt hujus mirabilis sacramenti fructus & effectus, qui ut ait Catechismus Patrum nullâ oratione explicari possunt. Unde Cyrillus de Cœna Domini: Mira sunt quæ fecit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus Iste in se habuit, ejus animam mori hujus foris de beatitudine inexplicabili levificat & delectat. Ex quo infert S. Hieronymus in cap. 1. Ecclesiast. quod hoc solum habemus in presenti seculo bonum, fructum carnis ejus, cruceque potemur. Addit D. Bonaventura in opusculo de præparatione ad Missam: Tunc est sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, error? & populus Christianus erit quasi grex portæ dispersus, & idololatriæ deditus, sicut patet ex prædictis infidelibus. Nam per hoc sacramentum fides, & roboratur fides, vires & viget Christiana religio, & divinus cultus.

§. 11.

Quandonom Eucharistia conferat gratiam?

Certum est Eucharistiam non dare gratiam nisi verè & realiter manducetur, est enim promissa ista gratia manducationi Sacramenti, Joan. 6. Unde si absque manducatione ulla ab Angelo poneretur in stomacho, non conferret gratiam, quidquid dicat Delugo in contrarium. Sacramenta enim non conferunt gratiam ex opere operato, nisi suscepta Sacramentaliter; non est autem alia Sacramentalis susceptio cibi Eucharistici à Christo instituta, nisi manducatio, cum de hac solum Scriptura faciat mentionem, Joannis 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et rursum: *Qui manducat meum carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Et iterum: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Verum quia comestio inagiam habet latitudinem, & plures actiones, subinde quae plura instantia vel tempora includit. Primum enim alimentum sumitur in ore, secundò trajectur per guttur, tertio reponitur in stomacho, & tandem ibi per calorem naturalem digeritur, difficultas est & controversia inter Theologos, quoniam ex his instantibus vel temporibus Eucharistica Sacramenta conferat gratiam? Becanus enim cap. 22. de Eucharistia quæst. 6. nu. 2. dicit probabilius esse gratiam dari, cum hostia sumpta est, etiam si adhuc non sit transmissa in stomachum, nec transierit per guttur. Suarez verò existimat illam conferri, cum primum hostia incipit transire per guttur. Soto, Nunno, & alii ex nostris Thomistis, censent illa dari, in eo instanti in quo primò verificatur species Sacramentales pervenire ad stomachum, & finitam esse manducationem. Demum Cajetanus hic art. 1. docet Eucharistiam causare gratiam toto illo tempore quo species Sacramentales durant in stomacho, accommodatque huic sententiae dictum illud Christi Joannis 6. *Quando in meo do sum, lux sum mundi.* Pro resolutione hujus difficultatis.

Dico primò, probabilius est hoc Sacramentum causare gratiam in instanti extrinsecè terminativo manducationis, in quo verum est dicere, nunc non est manducatio, sed immediate antea fuit; id est quando primum species Sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt.

Probatur breviter: Promissio gratiae non est facta nisi his qui hunc cibum manducaverint, & hoc convenienter, quia cibum non nutrit, nisi sufficienter applicatus & manducatus: Sed non censetur manducatio perfecta, usque ad illud instanti explicatum. Ergo tunc solum gratia conferatur. Major patet, Minor probatur. Nam quando solum cibum est in ore, nondum dicitur manducatus, qui enim cibum tenet in ore, & nullo modo deglutit, non dicitur comedere. Similiter cum cibum incipit tangere superficiem gutturis, vel transire per guttur, nondum comestus dicitur. Ergo non censetur manducatio cibi Eucharistici perfecta, nisi in instanti extrinsecè terminativo ipsius manducationis, seu quando primum species Sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt.

Dices primò, Cibum materialis viventem non nutrit, nisi postquam corruptus est: Ergo neque hoc Sacramentum, quod ad modum cibi spiritualis institutum est, fumentem nutrit, nisi postquam species Sacramentales corruptae sunt,

A Sed nego consequentiam & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia cibum materialis nutrit per conversionem sui in substantiam viventis; unde ut viventem nutriat, debet prius corrumpi, cum non possit in illum converti, nisi in seipso convertatur. Contra verò hoc Sacramentum nutrit per conversionem fumentis in seipsum: quem ut convertat, debet agere & operari quando est, cum nullum agens aptum sit operari, quando non est.

Dices secundò, ex nostra sententia sequi duo absurda: Primum est, quod posset aliquis dignè manducare corpus Christi, & tamen non recipere gratiam Sacramentalem; puta si moreretur antequam species pervenirent ad stomachum, seu ante completam manducationem. Secundum, quod si quis in peccato mortali existens, susceperet hoc Sacramentum, & ab eo tempore quo sumpsisset, usque ad instanti extrinsecè terminativum manducationis, eliceret actum contritionis, revera justificaretur.

Respondeo concedendo utrumque, sed negando hæc esse absurda, vel à veritate aliena, quia Christus non promittit gratiam iis qui ore tantum & dentibus fumerent hoc Sacramentum, sed verè manducantibus, manducatione perfectâ & completâ, quæ tunc solum existit, quando primum species Sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt.

Ex quo inferes, quod ille qui recipit species Sacramentales in ore, cum intentione eas deglutire, sed postea eas expuit, non valens illas deglutire, ob aliquam infirmitatem, vel naturæ debilitatem, effectum hujus Sacramenti non recipit, quia non manducat corpus Christi, manducatione completâ & perfectâ, sed duntaxat imperfectâ & inchoatâ. Idem dicendo de eo qui diu in ore retinet hostiam, ita ut species corrumpatur antequam deglutiantur. Si quis verò ad stomachum trajectis species, & postea evomat, verè recipit gratiam hujus Sacramenti fructum, quia ille non dependet nisi ex manducatione, non ex digestionem specierum: vomitus autem non opponitur manducationi, sed potius eam supponit, licet impediat digestionem. Unde non est simile quantum ad hoc de cibo corporali, & de Sacramentali, nam cibum corporalem non nutrit nisi mediante digestionem, ad quam requiritur quod cibum in stomacho remaneat; cibum autem Sacramentalis non operatur mediante digestionem, ideoque ut effectus ejus percipiatur, non requiritur quod remaneat in stomacho, sed sufficit quod mediante sumptione ad illum pervenerit.

Dico secundò, valde probabile est, quod si eo tempore quo species Sacramentales remanent in stomacho, homo novos ac ferventiore charitatis, aliarumque virtutum actus eliceat, quibus magis ac magis sese disponat, recipiet majorem gratiam ex opere operato; aliis non recipiet nisi eam quam initio recepit, dum primum species Sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt. Ita docet Cajetanus hic art. 1. quem sequuntur Recentiores non pauci. Unde Cardinalis Delugo disputatione 1. 2. sectione 2. numero 46. ait, quod licet olim male audierit hæc opinio, jam hodie communiter recipitur.

Non potest hæc assertio evidenti ratione probari, cum hoc ex sola Christi voluntate & institutione dependeat, potest tamen duplici congruentia suaderi. Prima est, quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi, ideoque

habet

habet eisdem effectus in anima, quos cibus materialis in corpore, ut ait Concilium Florentinum: At cibus toto eo tempore quo in stomacho permanet, & quo color naturalis agit in ipsum, nutrit & confortat corpus: Ergo similiter toto eo tempore quo Christi corpus sacramentaliter in fumente perseverat, nutrit & confortat spiritualiter animam, augendo in ea gratiam sanctificantem; si homo calore supernaturali, id est affectibus charitatis, aut aliarum virtutum, magis ac magis ad tale augmentum eo tempore se disponat.

39. Secunda est, quia cum Christus sit lux mundi, & fons omnis gratiae, rationi consonum videtur, ut quandiu in nobis sacramentaliter perseverat, animam lumine gratiae illumine, juxta illud Christi Joan. 6. *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi*; illamque spiritualiter pascat & satiet; hoc enim dignitati hujus Sacramenti convenit, & ad pietatem atque ad augendam devotionem post sumptum Sacramentum excitat.

40. Dices primo: Effectus hujus Sacramenti promittitur manducanti Joan. 6. Sed toto eo tempore quo species sacramentales remanent in stomacho, non est manducatio corporis Christi: Ergo toto illo tempore non confertur gratia, sed in eo solum instanti quo species sacramentales primo stomachum aut ventriculum attingunt, nam in eo tantum primo verum est dicere, nunc corpus Christi manducatum est.

41. Respondeo hoc Sacramentum causare gratiam in eo qui manducat, non praecise ratione manducationis, haec enim est tantum conditio & applicatio, sed ratione ipsius ubi manducati, & hoc tantum voluit Christus Joan. 6. unde quandiu cibus manducatus, est in stomacho, tandiu datur ejus effectus, si toto illo tempore ponatur dispositio.

42. Dices secundo, Si hoc Sacramentum semper continuo gratiam augeat, quandiu in nobis manet, sequitur, majorem gratiam recepturum illum qui majorem aut plures recipit hostias, imo qui debiliorem habet stomachum, quia diutius in eo manent species sacramentales, unde hinc aperitur via superstitionibus, plures grandioresve procurandi hostias, quod est ab Inquisitione damnatum, ut testatur Vazquez hic disputatione 203. cap. 2.

43. Respondeo distinguendo sequelam, sequitur majorem gratiam recepturum &c. per accidens concedo: per se nego. Neque enim nos tribuimus majorem gratiam majori durati. In speciebus praecise, sed majori dispositioni quae habetur in illa duratione; quare si tota illa dispositio in illo instanti haberetur, tota etiam gratia in illo instanti produceretur. Unde non aperitur via superstitionibus, sed commendatur diligentia communicantis, & augetur reverentia erga tantum Sacramentum. Nam dum communicans scit, quandiu hoc Sacramentum manet in ipso, continuo gratiam augeri, ad meliorem subiecti dispositionem, majorem cum diligentia conatur ad plures & ferventiores charitatis, aliarumque virtutum actus efficiendos, ut majus gratiae augmentum consequatur.

44. Ex his intelliges, nullum esse inconveniens admittere, illum qui ad hoc Sacramentum accedit cum peccato nondum sufficienter retractato, si postea antequam species sacramentales corrumpantur, illud sufficienter retractet per contritionem, vel etiam per attritionem, quam putat

A contritionem, justificari & gratiam consequi virtute Sacramenti adhuc manentis. Unde optimum concilium est, eo tempore adductum contritionis & dilectionis erga Deum maxime consistit.

ARTICULUS III.

An ad consequendum effectum hujus Sacramenti requiratur actualis devotio, excludens mentis distractionem, & peccata venialia actus exercitia?

Partem affirmantem tenent D. Bonaventura, Alensis, Durandus, Paludanus, Sylvest. & Cajetanus hic art. 1. cique adheret, dicitur S. Thomas in 4. dist. 2. quest. 2. art. 1. quod si hunc, 3. ubi sic habet: Cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plane habeat in fumente, oportet quod adfuit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractionem vel ipsam impediunt, & peccata venialia virtutem contrahunt, absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiae non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum venialis peccati, ex hoc quod impravatus accedat.

Nihilominus sententia negans, his temporibus communis est, non solum apud externos, sed etiam apud domesticos, eamque expresse docet S. Doctor hic art. 8. cujus verba infra referemus. Pro ejus vero explicatione & probatione, recolendum est ex dictis art. 1. duplicem effectum hujus Sacramenti effectum, unum praecipuum, scilicet augmentum gratiae; alterum minus principalem, nimirum refectionem quandam & dulcedinem spirituale, qua anima spiritualiter reficitur & exhilaratur, & amoris divini dulcedine inebriatur juxta illud Cantic. 1. *Comedite amici, & inebriamini charissimi. Vel ut habet alius versio: inebriamini amoribus.* Hoc posito, sit

§. I.

Triplici conclusione difficultas resolvitur.

Disco primo, ad recipiendam gratiam spiritualis refectionis & dulcedinis, requiritur devotio actualis, excludens mentis distractionem, & peccata venialia actu exercitia. Ita D. Thomas hic art. 8. cujus verba conclusionem sequenti referemus, & communiter Theologi, patet ex eo quod haec gratia consistit in aliqua sancta cogitatione & pia affectione, quae per quamlibet mentis distractionem impeditur.

B Confirmatur: ut haec gratia recipiatur in nobis, requirit subiectum capax: non est autem capax, nisi sit spoliatum omni alia mentis cogitatione, quia cum proximum subiectum hujus gratiae sit intellectus & voluntas, & haec potentiae nequeunt ad plura perfecte attendere, si tempore sumptionis occupantur in aliis rebus cogitandis, non erunt aptae ad recipiendas divinas illustrationes, & pias motiones & affectiones. Ad hoc ex Augustino libro quinquaginta homiliarum, homilia 10. cap. 3. quod peccata venialia, velut scabies corporis, deus ita exterminant, ut ab illis spoliati spiritus praesentis hominum, castissimi amplexibus gaudeant.

Dico secundo, ut hoc Sacramentum conferatur

augmentum gratiae habitualis, non requiritur A
devotio actualis, excludens peccata venialia a
eius exercitia, sed sufficit status gratiae habitualis,
expellens omnia peccata mortalia.

48 Probatur primò ex D. Thoma hic art. 8. ubi
sic ait: Effectus huius sacramenti non solum est ade-
ptio habitualis gratiae, vel charitatis, sed etiam quaedam
actualis reffectio spiritualis dulcedinis; quae quidem im-
peditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per
peccata venialia mente distractus: non autem tollitur
augmentum habitualis gratiae & charitatis. Quibus
verbis hanc & praecedentem conclusionem ma-
nifestè docet. Unde Soto, & alii ex nostris
Thomistis dicunt illum hic retractasse quod
docuerat in quarto sententiarum. Seta tamen B
hic art. 8. dubio unico, in solutione ad 1. ait
quod licet D. Thomas clarius hic loquatur, i-
dem tamen docuit loco citato ex quarto senten-
tiarum. Non enim ait, defectum devotionis, &
peccata venialia, ex toto impedire effectum hu-
ius sacramenti, sed solum dicit: An hoc quod esse-
tium suum plenè habeat in sumente, oportet quod adsit
actualis devotio. Plenè autem habere suum effe-
ctum, est conferre non solum habitualem grati-
am, sed etiam actualem refectionem spiritualis
dulcedinis: ad sic autem plenè habendum suum
effectum, etiam hic docet requiri actualem de-
votionem. Unde cum ibi subdit S. Doctor: C
Absque peccato mortali potest effectus huius sacramen-
ti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiae non
consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis in-
currat. Per augmentum gratiae non intelligit
quodcumque augmentum gratiae habitualis, sed
augmentum quod provenit gratiae ex additione
spiritualis refectionis actualis, quando virtute
huius sacramenti charitas excitatur in actum, &
severior fit ob maiorem dispositionem actualis
devotionis. Haec solutio & interpretatio
probabilitate non caret, & à mente S. Doctoris
non videtur aliena.

49 Probatur secundò conclusio ex Tridentino
sess. 13. cap. 7. ubi ad dignè & fructuosè recipi-
endum hoc sacramentum, non aliam necessari-
am dispositionem exigit, quam ut peccati mortalis
non sit conscius qui accedit; sic enim ait: D
Communicare volenti revocandum est in memoriam
hoc Apostoli praeceptum: Probet se ipsum homo. Ecce-
lesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem
necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis
quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa
sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam ac-
cedere debeat: Ergo ex Tridentino ad dignè &
fructuosè recipiendum hoc sacramentum, sub-
indeque ad percipiendum principalem ejus ef-
fectum, scilicet augmentum gratiae, non requi-
ritur devotio actualis, excludens omnia peccata
venialia, sed sufficit status gratiae sanctificantis,
expellens omnia peccata mortalia. Unde Au-
gustinus Tractatu 26. in Joannem: Peccata etsi
sunt quotidiana, vel non sint mortifera antequam ad
altare accedatis. Potest etiam suaderi conclusio
ratione fundamentali. Sacramenta novae legis
conferunt gratiam non ponentibus obicem: Sed
accedens ad hoc sacramentum cum veniali, aut
sine actuali devotione, non ponit obicem gra-
tiae habituali, cum nec carentia actualis devotio-
nis, nec peccatum veniale gratiae & charitati
opponatur: Ergo augmentum gratiae sanctifi-
cantis recipit.

50 Dices, quod licet ille non ponat obicem posi-
tively effectui huius sacramenti, illi tamen ponit
Tom. V.

obicem veluti negativè, quia non ponit disposi-
tionem necessariam ad illum.

Verum hoc facile potest confutari: Tum quia
Augustinus & Tridentinum, ut supra ostendi-
mus, ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sa-
cramentum, non aliam necessariam exigunt dis-
positionem, praeter statum gratiae sanctifican-
tis, omnia peccata mortalia excludentis. Tum
etiam, quia ex hac solutione sequeretur, quod
sicut peccator accedens cum attritione superna-
turali, cognita ut tali, ad hoc sacramentum, pec-
cat mortaliter, quia accedit cum dispositione
quam cognoscit esse insufficientem; ita pariter
qui scienter cum peccato veniali, aut carentia
actualis devotionis illud reciperet, etiam mor-
taliter peccaret, quia similiter ad illud accede-
ret sine dispositione necessaria ad recipiendam
gratiam: At hoc dici nequit, ut fatentur Adver-
sarii, & patet, quia alioquin non nisi à paucis su-
mi posset Eucharistia absque peccato mortali:
Quam pauci enim sunt adeo puri & recti, perfe-
ctoque Dei amore purgati, ut careant omni
prorsus habituali affectu inordinato. Imò
quam pauci carent omni actuali, aut sine aliqua
distractive aut levi negligentia vel irreverentia
veniali communicant.

Demum probari potest conclusio ex consue-
tutine Ecclesiae, quae olim post Baptismum so-
lebat dare infantibus sacramentum Eucharistiae,
sicut modò in articulo mortis solet administrari
phreneticis, in quibus, ob defectum usus ratio-
nis, nequit esse actualis devotio: At hoc non ef-
ferlicitum, nisi conferret ipsis suum effectum
primarium, qui est augmentum gratiae; quia
administratio sacramenti quae scitur non habi-
tura suum effectum primarium, est illicita. Un-
de non valet quod ait Cajetanus, phreneticis
non dari viaticum ad augendam in hac vita gra-
tiam, sed propter vitam aeternam, & propter im-
pugnationes Daemonum. Tum quia non potest
illis prodesse receptio huius sacramenti ad vitam
aeternam, nisi augendo in illis gratiam, quae est
radix & semens gloriae. Tum etiam, quia impu-
gnationes Daemonum phreneticis timendae non
sunt, cum enim careant usu rationis, peccare
non possunt.

Dico tertio, licet peccata venialia, & mentis
distractio cum quibus ad sacramentum Eu-
charistiae acceditur, non impediant totale au-
gmentum gratiae habitualis in hoc sacramento,
impediunt tamen intensiorem illius. Ratio est,
quia sacramenta novae legis eò intensiorem gra-
tiam ex opere operato producant in subiecto,
quò illud melius dispositum inveniunt, quia
producant ad instar causarum naturalium.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam & tertiam conclusionem
Nullum militat argumentum alicujus mo-
menti, sed contra secundam obijcit primò:
Nullus actus peccaminosus potest augere gra-
tiam: Sed accedere ad Eucharistiam cum pecca-
tis venialibus, est peccatum veniale, saltem
quando illa venialia recto usui talis sacramenti,
& reverentiae ei debita adversantur, ut infra di-
cemus: Ergo non potest augere gratiam.

Respondeo distinguendo Majorem: Nullus
actus peccaminosus potest augere gratiam ex
opere operantis, concedo Majorem: ex opere
operato, sive ut conditio physica, nego Majo-
rem;

rem: huiusmodi autem communio tunc causat augmentum gratiae ex opere operato, seu ex vi & efficacia sacramenti, cum dispositione sufficienti recepti.

55 Obicitur secundò: Hoc sacramentum est institutum per modum cibi: Ergo non causat augmentum gratiae, nisi suscipiens habeat actualem devotionem. Probatur Consequentia, quia cibus naturalis non nutrit vivens, nisi ipsum vivens calore suo naturali agat in cibum: Ergo nec iste cibus spiritualis nutrit hominem, nisi homo calore supernaturali, id est a cibus charitatis, agat in ipsum.

56 Respondeo negando Consequentiam, ad cuius probationem, concessio Antecedente, nego etiam consequentiam & paritatem. Ratio verò discriminis est, quia cibus materialis convertitur in ipsum vivens, & ideo debet vivens agere circa ipsum: At verò cibus iste spiritualis, potius dicitur nos in ipsum spiritualiter convertere, & nos nutrire, non quatenus nos agimus in ipsum, sed quatenus ipse agit in nos, & in nobis augmentum gratiae sanctificantis producit.

57 Obicitur tertio, ex nostra sententia sequi, quod Sacerdotes quotidie celebrantes, sed tepide, plus consequerentur gratiae & charitatis, quàm sanctissimi viri in exercitiis spiritualibus: hoc autem videtur falsum, & contra experientiam; cū constet illos non esse propterea ferventiores in operando, nec in virtute magis proficere; imò potius in spiritualibus exercitiis esse valde tepidos & languidos, debiles ac infirmos, similesque septem illis vaccis, macie & fame consumptis, quas vidit Pharaon Gen. 41. Charitas verò non est otiosa ubi est, juxta illud Augustini in Psal. 41. *Da mihi vacantem amorem & nihil operantem*. Et istud Gregorii Magni homilia 50. in Evangelia. *Nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna si est; si verò operari renuit, amor non est*. Similia habet D. Thomas opusculo 61. cap. 30. ubi haec scribit: *Amor operatur magna, & reputat parva; operatur multa & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve*. Ergo &c.

58 Respondeo concessa sequela Majoris, negando Minorem, ad cuius probationem dico, ideo gratiam illam sic auctam in Sacerdotibus illis non operari quod die ferventiùs, tum quia habitus infusi non auferunt difficultatem relictam ex actibus vitiosis, sicut habitus acquisiti. Tum praesertim, quia habitus gratiae & charitatis proximè operantur per auxilia actualia, quae ob mentis distractiones, & peccata venialia in celebratione commissà, Sacerdotibus illis denegantur. Unde non mirum quod illi in spiritualibus exercitiis sint valde tepidi & languidi. Notandum tamen, quod frequentius tepide celebrantes, merito, & cum maximo fundamento, timere debent, ne sint in statu peccati mortalis, maxime si nunquam ferè ferventer ad hoc sacramentum accedant. Quod si quis ex formali intentione veller cū tepore & distractione ad illud accedere, dicitur Nugno tale peccatum mortaliter, propter nimirum contemptum tanti sacramenti.

59 Quaeres, utrum sit peccatum veniale accedere ad Eucharistiam, cum affectu habituali vel actuali ad peccata venialia?

Respondeo peccata venialia cum quibus aliquis ad communionem accedit, esse posse duplicis generis, quaedam enim adversantur recto usui huius sacramenti, & reverentiae ei debita, id est attentioni ac devotioni quam actus ille postulat ex natura sua, ut voluntaria evagatio animi, te-

por, indevotio, irreverentia, & similia: alia verò sunt quae nullam habent oppositionem peccati rem cum devotione & reverentia ad hoc sacramentum requisita, sicut affectus inordinatus ad cibum, potum, ludum, mendacia jocularia, & similia. Si quis ergo cum affectu habituali vel actuali ad peccata venialia huius secundi generis, accedat ad Eucharistiam, non peccat venialiter, quia talia peccata, ut diximus, non habent specialem repugnantiam vel oppositionem cum hoc sacramento, vel usu illius: secus verò si quis cum habitu habituali vel actuali ad peccata venialia primi generis communicet, aut missam celebret. Nam si peccatum veniale est liberè evagationem orandum, & non satis attendere ut docet omnes cum D. Thoma 2.2. quæst. 83. art. 13. ad 3. quæst. magis inter celebrandum aut communicandum, & velle illam evagationem, atque ad illam alere. Unde non solum falsum, sed etiam erroneum puto quod docet Joannes Sanchez in disputationibus selectis, disputatione 23. nempe sumptionem Eucharistiae præcisè sumptam, prout debet esse distincta ab oratione, quæ sine dubitatione postulat, non requirere attentionem sub præcepto, licet requiratur de consilio; ideoque nullum peccatum esse communicare cum distractione. Etenim ipsa quoque receptio venerabilis sacramenti, i. præcisè sumpta, exigat attentionem aliquam & devotionem, ac reverentiam, ut docet Tridentinum sess. 13. cap. 7. huius verò non decet ad sacras illas functiones quempiam accipere nisi sanctè: certè quod magis sanctitas & divinitas huius sacramenti viro Christiano comperta est, & diligentius cavere ille debet, absque magnaveretur & sanctitate ad id percipiendum accedat. Ubi Chrysostomus homilia de proditoribus Iudae: *Cum ad reverendum altare ascendis, sacrum Domini corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, manu contingere, cor dis manu suscipe, & haustu intus assumes*.

ARTICULUS IV.

Utrum Sacerdotes celebrantes, & sub duplici specie communicantes, plus gratia recipiant quam laici, qui sub una tantum specie communicant?

Partem affirmativam docent Vazquez, Delugo, Meratius, & Martinonis, alique Recentiores, post Alensem. Negativa verò communis est apud Thomistas, eamque extraneam docent Alanus, Suarez, Bellarminus, Salmonius, Coninck, Amicus, Ylambertus, & recentiores qui hoc tempore scripserunt contra haereticos de communione sub utraque specie.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur, Sacerdos sub duplici specie communicans, non plus recipit gratiam quàm laicus, qui sub una tantum specie communicat, si uterque sit aequaliter dispositus.

Hanc conclusionem probat Salmeron totum 9. Tractatu 26. ex eo quod si vera esset opposita sententia, non posset Ecclesia auctoritate propria laicos privare communione sub utraque specie, eo quod non sit auctrix, sed dispensatrix tantum dona-

donorum Christi; imò contra iustitiam & Christo promissionem faceret, quia legata non dispensaret juxta voluntatem legatis, & populum Christianum privaret majori fructu spirituali, qui ex communione utriusque speciei percipitur. Unde aliqui asserunt, Patres Concilii Basiliensis, Bohemis, communionem sub utraque specie flagitantibus, eam solum conditione concessisse, ut prius profiterentur non plus fructus capere ex utraque specie, quam ex una tantum, ut ex Ruaro refert Bellarminus.

61 Verum hæc ratio non urget, licet enim qui sub utraque specie communicant, plus gratiæ & fructus spiritualis recipiant, quam sub una tantum specie communicantes, posset tamen Ecclesia, propter reverentiam tanti sacramenti, & ob morale periculum effundendi sanguinem, privare populum fructu aliquo spirituali ad salutem non necessario. Sicut ob simile periculum privant infantes (quamvis capaces) fructu hujus sacramenti, nec non phreneticos, & eos qui vomitum patiuntur, ut patebit infra, cum de usu hujus differemus.

Quod verò attinet ad Basileensem, in sess. 30. ubi decretum de communione sub una tantum specie pro fidelibus laicis stabilitur, nulla prorsus mentio fit supra dictæ conditionis; sic enim dicitur: *Sive autem sub una specie, sive sub duplici quis communicet, secundum ordinationem, seu observantiam Ecclesiæ, proficit dignè communicantibus ad salutem.* Nec ullatenus ambigendum est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer Christus. Hac ergo ratione præterminis.

62 Probatum primò conclusio ex Tridentino sess. 21. cap. 3. ubi ait: *Fatendum esse etiam sub altera specie totum atque integrum Christum: verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nullam gratiam necessariam ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt.*

63 Dices, Concilium Tridentinum non dicere absolute nullam gratiam fraudari, sed nullam gratiam ad salutem necessariam; quod verum est, quamvis admittatur Sacerdotem recipere majorem gratiam, quam laicum.

Sed contra: Licet ex hoc sequatur oppositam sententiam non esse manifestè contra Tridentinum, adhuc tamen possumus arguere in hunc modum. Vel Concilium loquitur de gratia simpliciter necessaria ad salutem? Et hoc non videtur ad mentem Concilii, quia licet quis privaretur actuali susceptione Eucharistiæ, non fraudaretur aliquam gratiam ad salutem necessariam; posset enim per poenitentiam aut contritionem talem gratiam consequi. Vel intelligitur de gratia secundum quid necessaria ad salutem? Et si hoc dicatur, habetur intentum, cum enim omnis gradus gratiæ sit secundum quid & ad melius esse necessarius ad salutem, communicantes sub altera tantum specie, defraudarentur, juxta mentem Concilii, gratiam ad salutem necessariam, quia aliquo gradu gratiæ privarentur.

64 Probatum secundo conclusio: Si Sacerdos sub utraque specie communicans, plus reciperet gratiam, quam laicus sub una tantum specie communicans, vel hæc inæqualitas proveniret ex speciebus, vel ex re contenta sub ipsis, vel ex earum significatione? Non ex speciebus continentibus, species enim secundum se, & ut abstrahunt à re contenta, non habent vim productivam gratiæ. Neque etiā re contenta, quandoquidem idem

Tom. V.

A Christus & totus æquè sumitur sub una & sub utraque specie. Neque demum ex significatione specierum; implicite enim, licet non explicite, illud totum significat unica species, quod significat utraque; ita ut tota differentia sit in modo significandi, quod non est sufficiens ad causandum distinctum effectum, ut patet in Baptismo, qui per immersionem expressius ex modo significandi denotat conspersionem baptizati cum Christo, quam per solam aspersionem; cum tamen utrovis modo collatus, eandem semper importat gratiam, quæ baptizatum cum Christo conspedit. Et idem est de matrimonio contracto per verba; licet enim significet vinculum matrimoniale magis perfecte, quam matrimonium contractum per sola signa, aut nutus, non tamen efficit majus aut perfectius vinculum, sed idem prorsus.

Tertiò, suadetur conclusio ratione Cajetani, 65 Quod in sumptione Eucharistiæ causat gratiam, non est solum illud quod ex vi verborum continetur in hoc sacramento, sed etiam quod per concomitantiam in eo continetur, aliàs Divinitas gratiam hujus sacramenti non causaret. Ergo cum communicantes sub specie panis tantum, non priventur sumptione sanguinis, ut contenti in hoc sacramento per concomitantiam, etiam si priventur sumptione ejusdem sanguinis, ut ex vi verborum in eo contenti, nullā prorsus gratiam privantur; gratiam enim quam causat sanguis sumptus, ut ex vi verborum continetur in hoc sacramento, causat etiam sumptus, ut in eo continetur per concomitantiam. Unde D. Thomas opusculo 58. cap. 29. ait tam utilem ac dulcem esse sanguinis sumptionem sub specie panis ipsis laicis, quam Sacerdotibus ejusdem sanguinis sumptionem sub speciebus vini; comparatque Christum qui sumitur sub specie panis, botro, in quo sumuntur duo, nempe & uva in cibum, & potus qui ex uva fugitur. Hoc ipsum egregie confirmat exemplum de manna, quod fuit figura hujus sacramenti, de quo Exodi 16. dicitur: *Non amplius habuit qui plus collegerat, nec qui minus paraverat, reperit minus.*

S. II.

Solvuntur objectiones.

Objectiones primò: Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliarum, concedens illi facultatem communicandi sub utraque specie, addit, se hoc privilegium illi concedere, *ad majus gratiæ augmentum*; Ergo existimat eum qui communicat sub utraque specie, plus gratiæ recipere, quam sub una tantum specie communicantem.

67 Respondeo verba illa Pontificis intelligenda esse de augmento gratiæ ex opere operantis, ratione scilicet majoris dispositionis, quam in Rege supponebat, hoc ipso quod accessurus esset ad communionem sub utraque specie, sibi speciali privilegio à Sede Apostolica concessam.

68 Objectiones secundò: Sacramenta novæ legis causant id quod significant: At majorem gratiam significat gemina species, quam alterutra tantum utraque enim species significat plenitudinē convivii spiritualis, & perfectam animi refectionem, quam non significant singulæ species seorsim sumptæ: sicut cibus & potus materialis, diversas importat refectiones corporis, unus enim roborat, alter exhilarat; unus expellit famem, alter verò sitim extinguit: Ergo majorem gratiam

00 21 tiam

- tiam causant duæ species, quam unica. A
 69 Respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, nego ex parte rei significatam pleniorē refectionem spiritualem significari per utramque speciem simul, quam per alterutram tantum, sed solum ex parte modi significandi; quod non sufficit ut sacramentum pleniorē aut perfectiorē operetur effectum, ut in secunda probatione conclusionis ostendimus, duplicique exemplo declaravimus. Addo quod in refectione spirituali non distinguuntur cibus & potus, sed eadem res, sive eadem gratia & nutrit, & refrigerat; sedat famem, & extinguit sitim; unde in Scriptura una eademque res esuriri & sitiri dicitur, Matt. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, quod & in corporalibus interdum observare est, quando quidem infantibus lac & pulvis, maioribus panis vino intinctus, & cibi & potus usum habent.

- 70 Obijcies tertio: Si species panis & vini non causarent diversas gratias, sed unam tantum: vel tota hæc gratia Sacerdoti conferretur in sumptione solius speciei? & sic species vini non esset verum sacramentum, nam gratiam quam significat non conferret, obicem non ponenti; Vel in sumptione solius calicis? & sic species panis non esset verum sacramentum, ob eandem rationem. Vel partim in sumptione hostiæ, & partim in haustu calicis? Et hoc etiam dici nequit, quia non potest assignari ratio cur species panis sumpta à laico, statim illi conferat totam suam gratiam, quam apta est conferre; Sacerdoti vero non totam sed dimidiatam tantum conferat, aliam dimidiatam causandam relinquens à subsequente specie vini: Ergo &c.

- 71 Respondeo totam gratiam Sacerdoti dari in ipsa hostiæ sumptione. Nec propterea sumptio calicis non est verum sacramentum; quia ut sit verum sacramentum, non est necesse ut gratiam actu conferat (nam Eucharistia dum est in pignore, est verum sacramentum, & tamen gratiam actu non confert) sed sufficit quod quantum est de se possit illam conferre, si subiectum sit dispositum: hic verò subiectum non est dispositum, eò quod totum effectum sacramenti recepit in sumptione specierum panis. Sicut si laicus post sumptam unam particulam immediate sumeret aliam, nullam gratiam reciperet; quia similiter subiectum non esset dispositum, eò quod totum effectum sacramenti in sumptione primæ hostiæ recepit.

- 72 Obijcies quarto: Eucharistia modò sumpta sub sola specie panis, non est majoris efficaciam, quam fuisset in triduo mortis Christi: Sed in triduo mortis Christi non tribuisset tantam gratiam, quam contulisset communicatio sub utraque specie; cum enim corpus Christi esset tunc absque sanguine, gratiam quidem contulisset sub specie panis, sed præcisè per modum cibi: Ergo etiam modò Eucharistia sumpta sub utraq; specie majorem confert gratiam, quam cum sub una tantum specie sumitur.

- 73 Respondeo primò negando Majorem id eò enim modò communicatio sub unica specie est tam efficax ac communicatio sub utraq; specie, quia sub unica specie modò continetur totus Christus: At verò in triduo mortis Christi, sub specie panis non fuisset totus Christus, quia tunc cum sanguis Christi esset separatus à corpore, sub speciebus panis non fuisset sanguis per concomitantiam, sicut modò.

Respondeo secundò, datà Majori, negando Minorem; cum enim gratia quæ per modum potus tribuitur, non sit entitative distincta ab ea quæ confertur, per modum cibi, sed una eademque, probabile est consequenter quod in triduo mortis Christi tanta gratia collata fuisset communicanti sub unica specie, quantum tribuitur communicanti sub utraque. Maxime quia licet sanguis non fuisset tunc per concomitantiam cum corpore, bene tamen suppositum Divinitatem quo quælibet species habet totam suam virtutem; hæc tamen est differentia, quod communicatio tunc facta sub unica specie, non fuisset signum gratiæ secundum quod habet rationem potus spiritualis, bene tamen communicatio sub utraque

DISPUTATIO IX.

De usu seu sumptione Eucharistiæ.

Ad quæstiones 80. & 81. De Thema.

Quia speciale est in hoc sacramento, utrum sumptio ab ipso sacramento distinguatur, postquam D. Thomas egit de essentia, causis, & effectibus illius, differit de eius usu, quod est sit prior in executione ipsius effectibus, in intentione tamen est posterior. Agit verò per modum eius usu in communi quæst. 20. & deinde in particulari de modo quo Christus est usus hoc sacramento, quæst. 81. Verum quia suppositum in quæ de institutione huius sacramenti supradiximus, nihil restat disputandum circa hanc quæst. 81. illà prætermisâ, solum agemus de usu Eucharistiæ in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum fideles præcepto Divino & Ecclesiæ teneantur sumere Eucharistiæ, & quando nam ad id obligentur?

Deo primò, obligatio sumendi Eucharistiæ non deditur de præcepto Ecclesiæ, sed de iure divino. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi ait: *Manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed etiam mandato Domini dicentis Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem.*

Colligitur ex Scriptura, nam sicut præceptum baptizandi colligitur ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*, & præceptum penitentiae ex illo Luca 13. *Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis ita ex verbis illis Joannis 6. nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: rectè colligitur præceptum Christi de huius sacramenti sumptione, quod qui non servat, non habet vitam in se.

Potest etiam assignari ratio congrua, cur Christus voluerit tale præceptum nobis imponere, quia nimirum hoc sacramentum per modum cibi, ad vitam spiritualem hominis conservandam necessarii, instituit. Nam licet jure nature tenetur homo cibum naturalem sumere, quia sine eo non potest diu vitam conservare; ita quoque moraliter impossibile est in vita spirituali